

tem et apostolicam benedictionem. Cognoscentes sententiam tuam de statu sancte Dei ecclesie esse sollicitam, que nuper erga nos acta sunt tibi, tanquam karissimo ac speciali beati Petri filio, presentibus litteris aperimus. Sperantes igitur tempus divine miserationis¹ ad liberationem fidelium advenisse, cum dilecto filio nostro Loterio^a Romanorum rege Urbem intravimus et, recuperatis ibi quibusdam munitionibus, perurgente Romani aeris intemperie et estivis fervoribus, eundem regem imperatorie dignitatis culmine^b, invocata spiritus sancti gratia, decoravimus. Quo nimirum peracto, supradictus imperator versus partes Teutonicas iter arripuit, et nos cum ovibus nostris inter frementium luporum impetus tam corpora quam animas duximus omnipotenti Deo commitendas^c. Humano itaque consilio atque auxilio destituti, ad celum manus et oculos elevamus, divine consolationis gratiam crebris suspiriis postulantes. Quocirca ad tuam consuetam benignitatem recurrimus, enixius deprecantes et in remissionem peccatorum tibi pariter iniungentes, ut de bonis a^d celesti misericordia^e tue regali magnificentie prestitis labores matris tue sancte Romane ecclesie satagas relevare, quatinus, intercedentibus meritis beatorum apostolorum Petri et Pauli, patriam tuam omnipotens Deus in tempora longiora conservet incolumem et pro bonis temporalibus devotioni tue premia sempiterna concedat. Dat. Laterani VI. Idus Iunii.

a) Loteg' *Hs.*b) culmen *Hs.*c) commitandas *Hs.*d) á *Hs.*e) misericordie *Hs.*

1) Judith 8, 13.